Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



M IHS.

et dices ad eos. Audite verbum domini
reges iuda et omnis iuda. omnesque
habitatores hierusalem. qui ingredimini per
portas istas. Hec dicit dominus.
Custodite animas vestras. et nolite
portare pondera in die sabbati. nec in
ferratis per portas hierusalem. Et nolite
efferre onera vestra de domibus vestris in
die sabbati. et omne opus non facietis.
Sanctificate diem sabbati sicut preceperam patribus vestris. et non audierunt. nec inclinaverunt aurem suam. et indurarunt cervicem suam. ne audirent me. et ne acciperent disciplinam. Et erit si audieritis me dicit dominus. ut non inferatis onera per portas civitatis huius in die sabbati. et sanctificaveritis diem sabbati. ne faciatis in eo opus omne. ingredientur per portas civitatis huius reges et principes sedentes super solium David. et ascendentes in curribus et equis. ipse et principes eorum iuda et habitatores hierusalem. Et habitabit civitas hec in eternum. et venient de civitatibus iuda et de circuitu hierusalem. et de terra benyamin. et de campestribus. et de montuosis. et ab austro portantes holocausta et victimas. et sacrificium et thus. et inferentes oblationem in domum domini. Si autem non audieritis me ut sanctificetis diem sabbati. et ne portetis onus. et ne inferatis per portas hierusalem die sabbati. succendam ignem in portis eius. et devorabit domos hierusalem. et non extinguetur. Capitulum. xviii.

Verbum quod factum est ad
hieremiam a domino dicens.
Surge et descende in domum
figuli. et ibi audies verba mea. Et de
scendi in domum figuli. Et ecce ipse
faciebat opus super rotam. Et dis
cissum est opus quod ipse faciebat e
lutum manibus suis. Conversusque fecit
illud vas alterum sicut placuerat in
oculis eius. ut faceret. Et factum est verbum domini ad me dicens. Numquid
sicut fecit figulus iste non potero
vobis facere domus israel ait dominus.
Ecce sicut lutum in manu figuli. sic
vos in manu mea domus israel.
Repente loquar adversum gentem. et ad
versum regnum. ut eradicem. et destruam et disperdam illud. Si penituerit gens
illa a malo suo quod locutus
sum adversus eam: agam et ego pe
nitentiam super malo quod cogitavi ut
faciam ei. Et subito loquar de gente et
regno. ut edificem et plantem illud.
Si fecerit malum in oculis meis ut
non audiat vocem meam: penitebit me
agam et ego super bono quod locutus
sum ut faciam ei. Nunc ergo dic viro
iuda et habitatori hierusalem. dicens. Hec
dicit dominus. Ecce ego fingo de
vobis malum. et cogito cogitationem super vos cogita
tionem. Revertatur unusquisque a via
sua mala. et dirigite vias vestras et
studia vestra. Quia dixerunt. Desperavimus. Post cogitationes enim
vestras ibimus. et unusquisque pravitate
cordis sui mali faciemus. Ideo hec
dicit dominus. Interrogate gentes
quis audivit talia horribilia hec
fecit virgo israel. Numquid deficiet
de petra agri nix libani. aut evel
li possunt aque currentes fri
gide et defluentes. Quia oblitus est
mei populus meus frustra libantes.
et improperantes in viis suis. et in semi
tis seculi. ut ambularet post eas
in itinere non trito. et fieret terra eo
rum desolationem. et sibilum sempiternum.
Omnis enim qui preterit per eam

post